



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de**

**Leodii, 1685**

§. I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

virtutem, de ipsa morte, quæ se omnium victorum, Regum, Imperatorum, Imperatricem & triumphatricem; superbè jactat, magno Dei gratiæ auxilio, per Eucharisticam Communionem roborati, triumphabunt in perpetuas Æternitates.

## NUMERUS XVI.

*Pietas Eucharistica in augustissimâ Domino Austriacâ regnans & Imperans.*

### §. I.

**Q**Uamvis non sit mei propositi, hic recensere omnes victorias, quas Principes Catholici, virtute Eucharisticâ armati, de inimicis fidei reportarunt: non possum tamen victricem ejus potentiam, in exaltatione augustissimæ Domus Austriacæ non agnoscere, laudare & prædicare: ad propagationem divini cultus huic admirando, & admirabili Sacramento ab omnibus debiti. Notissima est ubique augustissimæ Domus Austriacæ potentia, claritas, gloria, sublimi-

tas, ex qua per quatuor sæcula & amplius à Rudolpho primo, usque ad Leopoldum Augustum, modò regnantem: quindecim Principes Austriacos supra Solium Romani Imperii, humanæ dignitatis culmen: ingenti totius orbis Christiani bono, exaltatos cernimus, veneramur, & gratulamur: Deoque uni, trino, omnipotenti, in cujus manibus sunt omnium potestates, & omnium jura regnorum, gratias agentes, ejus infinitam bonitatem, supplices deprecamur: ut per illos, quos in fidei & pietatis propugnatores, & propagatores elegit: opus suum perficiat atque coronet.

Quæ porrò est tantæ potestatis, Majestatis, & sublimitatis Augustissimæ hujus Familiæ ad supremum mundanæ celsitudinis fastigium à tot sæculis exaltatæ origo? quod exordium? Quâ viâ? quâ ratione, ad apicem supremæ, inter mortales dignitatis, non modò erecta est; sed in lummis temporum periculis, in folio Cæsarum, à tam potentibus inimicis toties oppugnata, stare potuit usque ad præsentem diem? Humanas artes & industrias

scrutentur politici, & qui divinam providentiam Regnorum totius mundi gubernatricem non adorant: at singularem divinæ benignitatis protectionem, in conservatione Augustissimæ Domus venerantur; qui Catholicos & Pientissimos Principes Deo charissimos norunt. Pro quibus Deus exercituum pugnavit, per quos vicit sævissimos Christiani Nominis hostes; in quibus, ut confidimus, gloriosius triumphabit, donec Nominis sui inimicos sub pedibus conterat: eò omnia undè, qui habitat in adjutorio Altissimi in protectione Dei Cœli commorabitur, irrideant increduli, ista veritatis oracula viri secundum cor Dei, qui non in arcu aut in gladio, & in equis ac quadrigis suis, sed in Domino confidebat: à quo exaltatus, & in throno populi Dei stabilitus, omnes adversarios, ipsum perdere volentes, comprehendit & contrivit.

Non est abbreviata manus Domini, Christus, heri, & hodie, ipse & in sæcula, dives in omnes, qui invocant nomen ejus: illos qui pro ejus Ecclesiæ propagatione, contra sævissimos ejusdem

persecutores, perpetuò dimicant; non deseret; sed novis auxiliis benedictionibus, victoriis & triumphis Austriacorum Procerum fidem Catholicam, & Eucharisticam pietatem abundantius cumulabit, donec opus quod per illos aggressus est consummatum sit totum, omniq̄ue ex parte absolutum.

## §. II.

**P**ergat ergo majora in dies aggredi, pro gloria Crucis certamina Magnanimus, & Piissimus Imperator: avitæ fidei, justitiæ, & eximiæ pietatis Majorum suorum, hæres Leopoldus Augustus, illustrioribus semper facinoribus, Nominis sui omen implens: omnium Cæsarum, in se uno gloriam colligat: & hæroïcis omnium Christianarum virtutum, actibus superexaltet; & quidquid est dispersum in cæteris, in universum, in uno Leopoldo cumulatum, totus terrarum orbis veneretur.

Postquam sapientissimus Regum Israël unam sapientiam, omnium regno-